

# AD DOMINVM LEON.

HARDVM TVRNISERVM  
& Lectores Praefatio.



Vi abstrusis Naturæ rebus explicandis diligenter nauant operam, et si opus quidem arduum & magnum suscepereunt, diuersa tamen multorum hominum iudicia solent experiri. Quibus enim secreta ista ecce antea fuerunt perspecta, arbitrantur iniuriam sibi fieri, à se summis studijs longo temporum interuallo conquisita, altoque silentio compressa, tam subito lucem videre, cumque omnibus hominibus communicari. Qui verò nil prorsus eorum intelligunt, peruersissimi omnium iudices, causa non cognita, de toto negocio decernentes, vana falsaq; aut superstitionis, nec non diuinis humanisq; legibus contraria esse pronunciant. Tertium genus eorum est, qui magno spiritu vendicantes sibi abditarum rerum clauem, in superficie tantum feruntur: Sed caligantes, dum operationes verbis non consonant, ludibrys hominum excipiuntur: nec sibi tantum dedecus, quantam authori conflant ignominiam, quasi is aut falsa prodiderit, quæ tamen ab ijs nequaquam cognita, perperam omnino administrantur, aut eum finem, quem recte adhibita debuerant, nunquam sortiuntur.

Non abs re igitur à clarissimis viris dubitatum est, eiusmodine arcana Naturæ pandi debeant. Quis enim existimabit hoc anceps iudiciorum pelagus subeundum: quis non cum paucissimis, ijsq; optimis fidelissimisque potius communicandum? Deniq; cum vulgares hominum animi, ad quæstum priuatum, aut vanam ostentationem, multo quam ad commodum publicum attentiores sint, quis arbitrabitur horum auaritiæ materiam suppeditandam esse? Retinent hæ causæ multos non immerito: Sed tamen audiendos esse non puto, nec sibi satisfacere, qui ea, quæ vel paucissimis ex tot millibus, usui adiumentoq; esse possint, propter reliquorum ingritudinem, & præceps iudicium penitus existiment suppressimenda. Iniri potest aliud tractationis genus, ita vt ab reconditis secretis, ignavi contemtores arceantur, liberalibusq; ingenij ad indagandum certissimus proponatur scopus.

Hanc te rationem Turnisere in tuo volumine, magno iudicio sequuntur esse intelligo. Nam ne prorsus à te summis conatibus peruestigata, & itinerum difficultatibus, terra mariq; conquisita, reliquis inuideres, mouit te candor tuus, & in liberales animos studium. Ut autem magnam eorum partem enigmatum inuolucris reconderes, habet id suam (quam dia-

xi)